

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Libri historiarum quatuor [Rerum Romanarum epitoma] a [Joanne] Cuspiniano castigati cum ind**

**Florus, Lucius Annaeus**

**Vienne, 1511**

Creticvm bellvm. Ti. VII

[urn:nbn:de:bsz:31-270805](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-270805)

TERTIVS.

Quid prius in hac mirere uictoria: uelocitate: quod quadragesimo die parata est. An felicitatem: quod ne una quidem nauis amissa est. An perpetuitate: quod amplius Pyrate non fuerunt,

CRETICVM BELLVM. TI. VII.

**C**reticum bellum: si uera uolumus noscere: nos fecimus sola uincendi nobilem insulam cupiditate, fauisse Mithrydati uidebat: hoc placuit armis uindicare. Primus inuasit insulam Marcus Antonius: cum ingenitum quidem uictoriae spe atque fiducia: adeo ut pluris catenas in nauibus: quam arma portaret. dedit itaque poenas uecordiae: nam plurasque naues intercepte hostes: captiuamque corpora religata uelis ac funibus pepedere: ac sic uelificantes triumphantium in modum Cretes portibus suis adremigauerunt. Metellus deinde totam insulam igni ferroque populatus intra castella & urbes redegit: & Gnoson: & Erythraea, & ut graeci dicere solent urbium matrem Cydonam. Adeoque saepe in captiuos consulebatur: ut ueneno se plerique conficerent. Alii deditioem suam ad Pompeium absentem mitterent: & cum ille res in Asia gerens eo quoque praefectum misisset Antonium in illa prouincia irritus fuit: eoque infestior. Metellus in hostes suis uictoris exercuit uictisque Iasthene & Panare Cydonae ducibus uictor rediit: nec ququam amplius tamen de tam famosa uictoria quam cognomen Creticum reportauit.

BELLVM BALEARICVM. TI. VIII.

**Q**uatinus Metelli Macedonici domus bellicis nominibus assueuerat: altero ex liberis eius Cretico facto: mora non fuit: quin aliter quoque Balearicus uocaretur. Baleares per idem tempus insulae pyratice rabie corruperant maria: homines feros atque siluestres mireris ausos a scopulis suis saltim maria prospicere. Ascendere etiam incognitas rates: & prae nauigantes subinde inopinato impetu terruere. Sed cum uenientem ab alto Romanam classem prospexissent: praedam putantes: ausi